Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 823
Quelle:
Copyright:

ctissimi et probatissimi uiri diuerso quidem stilo &c. et finiunt notabili dicto: *Sciat se non esse episcopum, qui preesse desiderat, non prodesse.*

Ultimis binis *Paginis* Manus quaedam Sec. XIV. currente penna quaedam adscripsit *Homiletica* de Resurrectione et Passione Christi.

CCCLXVIII.

R. 2186 Codex membraneus lat. in confinio Sec. XIV. et XV. pulcre perscriptus, Folior. 130. f. min. coloribus illustratus et olim *Carthusiae SS. Trinit. in Königsfeld* prope *Brunnam Moravorum* continet sequentia: I. *Incipit Liber Cassiodori de Anima.* Praeit *Capitum* Elenchus meliore, ut videtur, divisione, quam in Edit. *Garetii Rotomag.* 1679. T. II. p. 627. f. quacum Textum nostrum contuli, satisque concordem reperi, nisi quod in *C. de Virtutibus moralibus Animae* Definitio *Temperantiae* suo loco mota, et calci praecedentis *C.* perperam adsuta est. Ad finem haec Rubrica legitur: *Scriptum anno domini Millesimo trecentesimo nonagesimo nono Infra octabas Epifanie domini feria sexta hora prima noctis per manus Nicolai mendlini wagendrüssel de hostradicz.*

II. *fol.* 24. continuo sequitur: *Magni Aurelij Cassiodori Senatoris viri clarissimi et Illustris. exquestoris pallatij. exconsulis ordinarij. exmagistri officij. prepositi atque patritij Libri de Amicitia Incipit prologus.* Ita nempe: *Quoniam diminute sunt veritates a filijs hominum et refrigescente caritate* &c.

III. *fol.* 40. p. 2. *Incipit libellus de caritate seu de dilectione dei.* Initium: *Sicut praecedentia docuerunt, amicitia vera non est* &c. Dixi de II. his Libellis non *Cassiodoro*, sed *Petro Blesensi* inscribendis *Vol.* I. P. I. *col.* 928. quo te, si lubitum est, refer. Omnia haec III. Opuscula notis marginum gaudent, quibus vocum minus obviarum significatus etymologice et grammatice explicatur.

IV. *fol.* 83. p. 2. *Incipit Tractatus vtilissimus de conscientia sancti Bernhardi abbatis clareuallen.* Ita quidem: *Conscientia in qua anima perpetuo est mansura edificanda est. sed prius mundanda* &c. Nec *Bernhardi* est, nec hic integer, sed deflorationes C. I. VI. VII. X. XI. et XV. Integer extat in Opp. *Bernhardi Paris.* 1690. T. V. *col.* 335. inscriptus *de Interiori Domo.* Ad calcem nobis iterum minio: *Per manus Nicolay Mendlini wagendrüssel de hostradicz.* Eodem anno, sed *feria quarta ante ostensionem Reliquiarum.* De hac consulenda vetusta Calendaria Ecclesiae *Olomucensis. Hostradicz* Circuli *Znoymensis* Oppidum est.

V. *fol.* 88. praemisso de *Seneca* loco *Hieronymi* in *Catal. Viror. illustr.* et noto Philosophi Epitaphio: *Cura, labor, meritum* &c. ejus epistolare Commercium cum *Paulo* Apostolo succedit, spurium illud et a nobis non semel relatum, atque hic integrum XIV. *Episto-*